



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

1. Maji. In ferendo de legendis rebus iudicio, hærendum non est in fuco, quem præferunt, sed prospiciendum: quò definant. S. Ignat. apud Nolar.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

rate. Quidquid hæc suaserit, suspectum  
habe.

Subtilis est amor proprius, excidium  
virtuti per cuniculos parat, te Judice tamen  
reus non agetur, evadet supplicium, ad  
aliud deferendus est tribunal.

Tu de aliis, alii de te judicent. Tunc re-  
motior futurus à periculo, si de te, sine te  
statuant. Nemo sibi medetur ipsi, Ægritu-  
do animæ difficilior est, quàm corporis.

### I. Maji.

*In ferendo de legendis rebus judicio, haren-  
dum non est in furo, quem præferunt, sed  
prospiciendum, quò desinant. S. Ignat.  
apud Nolar.*

**E**rrant, qui non à fine incipiunt. Exi-  
tium citiùs, quàm exitum allatura sunt  
negotia, quæ sine matura deliberatione ex  
impetu sunt inchoata. Hæc quidem ubi-  
que, in salutis tamen negotio, ubi æternus  
error est, maximè necessaria.

Qui timet pericula, non peribit in illis.  
Præstat etiam tuta timere, quàm de incer-  
tis præsumere. Audacia infelix est consilia-  
ria. Melior est dubius eventus cum maturo  
consilio, quàm felix cum temeritate.

Prævisa minùs feriunt ; estò enim præter voluntatem, non tamen præter opinionem eveniunt. Si eximere te calamitatibus non potes, potes erroribus. Mala enervata cautela prævidendi.

Oculum sceptro præfixum tutò sequitur populi: nos in manibus & pedibus oculos habere convenit, ut quid agamus, quæve tendamus, videre liceat. Non satis oculatus est, qui videt, ubi sistit, nisi aliò, quæ tendendum sit, examinet.

## 2. Maji.

*Duplici nos viâ instituit Deus, unâ per se, quæ quia occulta, ideo ignota, alterâ per hominem finit. S. Ignat. apud Bart. l. 1. f. 22.*

**U**T spinis, ita difficultatibus plena est via ad cælum, felix, qui hîc periculum nactus est ducem, sine hoc facilis descensus averni, pronum est præcipitium.

Ignota Deus voluit nobis consilia sua, ut sollicitudinem acuat. Docere ipse intendit, ut fidei præberet exercitium, imò augeret meritum, homini nos, non sibi obedire voluit.

Loquitur sæpe in corde spiritus, sed non